

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Georg Albrecht Hagendorf Joachim Neumann

## **De Cognitionibus Humanae Mentis**


Rostochii: Richelius, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730609839>

Druck Freier  Zugang



Ru. phil. 1681.



31.

CREATORE COGITATIONVM ADIVVANTE

In Sanctissimi Hujus gloriam

*SUPERIORVM*

Indultu benignissimo

*DE*

# COGITATIONIBVS

Humanae Mentis

Propositiones aliquot morales

In Illustri Vniversitate Rostochiensi  
disputabunt publice

M. GEORGIVS ALBERTVS *Hagendorf*

*SVLTBVRGENSIS*

&

JOACHIMVS *Neumann*

Havelb. March.

*In Audit. Maj. Ante Diem 22. Octobr. cL Ic XXCI.*

---

ROSTOCHII

Typis JACOBI RICHELII, Senat, Typog.





## SANCTISSIME DEVS!

Dirige, qvam dedisti, mentem, &  
veritate Tuac cogitationes per-  
fice!

**B**ene agendi bona mens est in ho-  
mine principium. Male qui agit,  
male cogitat. Qui bene, bonus  
est. Cogitatio homines vel bo-  
nos format, vel malos. Ea qua-  
si radix est, unde aut lolium pro-  
germinat, aut efflorescit rosa. Po-  
tuisse nem o vitiolum conspici,  
nisi ante cogitasset vitiola, quam-  
turpiter agere conspectus fuit. Est vero medici cura illuc  
principia, ubi sedem mali invenit. Aegri auribus non dul-  
cior, ac quid sanitatem habetur, sermo est. Nec inutiliter  
adeo, nec forsitan fieri cum taedio, aliqua de Cognitionum Ba-  
nitate si colligentur. Praeponendae Propositionibus

### Definitiones.

1. DEVS Mens est absolute perfectissima.
2. Cogitatio est perceptio humanae mentis ad rem  
certam determinata.

A 2

3. Res.

3. Res dignae hominis cura & necessariae, qvæ ad DEI gloriam accultum, hominisqve perfectionem atque culturam conferunt.

4. Non necessaria & inutilia, sine qvibus rerum præstantissimarum, aut ad indigentiae humanæ sublevationem necessariarum, scientia atque animi probitas obtineri potest.

5. Turpe est, qvicqvid DEI placito adversum recta ratio invenit.

Idearum voce ex Platonis de promta dialogis, intelligimus cogitandi, qvorum immediata perceptiones iis representatae cognoscuntur, &c, qvæ sunt forte alia, ultro patebunt.

## Axiomata.

1. Bonum absolute perfectum affectu maximo, relativa, qvo ab illo magis recedunt, eo minori, propter illud tam decenti affectu, prosequenda sunt.

2. Numquam acqviescendum, nisi in bono, qvod obtineri potest, perfectissimo, ad caetera, non nisi hujus intuitu, redeundum.

3. Qvod mentis naturae ac perfectioni congruum maxime & vicinum, id cura qvoqve maxima intendat.

4. Qvod DEI opus est, cum eo ita versandum, ut DEO placere possit.

5. Qvicqvid agendum in conspectu Evergetac, cuius benignitati debentur omnia, atque a cuius justitia & potentia gravissima qvaeqve metuenda, id solicite fiat necesse est, ac in primis, si de Ipso Illo eloquendum qvid fuerit.

6. DEO non probari posse, summa infelicitas.

7. Si bonum est, ut homo unus DEO placeat, duplo melius est, ut homines duo placere DEO possint, centuplo, ut centum &c.

Hy

## Hypotheses.

1. Qvicqvid praeter DEVUM est realitatis, veritatis, essentiae, qvam diu est, a DEI placito omne dependet. Rerum a sepe pendentium, eorumqve, qvae cum his agantur, omnium perfectissima est cognitio in DEO perfectissimo. Justissimus ipse, perfectioni suae perpetuo similis, res quoqve alias suae qvasvis naturae congruas semper esse cupit. Sin aliter eveniat, signis severioribus comprobat displicantiam ab omni impuritate, omni malo remotissima summae perfectionis Sanctitas.

2. Cogitatio cum a mente hominis abesse nullo modo possit, ejus tamen pro varietate idearum varia determinatio obtinet. Non vero haec simul & semel, sed successive. Aliqua prae aliis promptior magis, ac familiarior.

3. Idearum, qvas mens formare sibi potest, aliae non nisi res brutas & corporeas, aliae mentes his multo perfectiores, aliae Mentem utraqve priorum rerum genere immensum perfectiorem & absolute perfectissimam repraesentant. Sunt, qvarum compositione & veritas colligi, & bonitas potest, legis instar mentem obligans. De hac obligatione Henr. Mor. Ench. c. 4.

4. Mens juncta cum corpore suo inter lutea haeret, unde qvavis momento evocari potest. Ante autem, qvam evocatur, vivit inter socios sibi similes, inter terrestria, DEI opera. Suae hujus commemorationis tempus omne, si cum eo conferatur, qvod addi posset, ne qvidē habet momenti vicem.

5. Stationi qvisqve suae aut dicatus, aut dicandus. In ea honori Divino vivere oportet, ac saluti sociorum. Ut bene ac recte gerantur omnia, plurimarum rerum accurata requiritur scientia. animus ad bonitatem præparatus. Qvae inventa sunt ab aliis, plerumqve sic se habent, ut nova iis & meliora addi subinde possint.

6. Menti veritates evolutrae, qvas nosse & potest, &

vel necesse ipsi, indefesso studio opus est. Alteri evolutas  
jam tum atque cognitas eductas non semper & cuique, &  
quasvis proponere licet, ob alterius debile judicium, statum  
animi turbatiorem, rei ipsius sublimitatem &c. Utrumqua  
studium remoras undique pati oportet. Vita hominis  
cum somno, aerumnis, occupationibus, amicis, inimicis di-  
videnda. V. Sen. ep. 88. Mens, dum judicat, nisi provida satis,  
decipi potest ac in transversum abripi corporeis motibus.

7. Malum nec realitatem habet, nec DEVUM sui caus-  
am. Ipso nihilo deterius ac imperfectius est. In quavis  
mali specie determinat sese mens creata tamquam a se, aut  
propter se, contra DEI placitum. Mali aliquando occasio  
sensibus suis affabre fabricata corporis strues. Quae vero  
redundat in hanc voluptas, omnis levi motu & blanda titil-  
latione absolvitur.

### LEMMA.

Mens hominis neque seipsam, ne-  
que res creatas alias cogitando  
acquiescere potest.

Seipsam cogitare primam potest mens hominis, sui-  
que conscientia esse. Percipiendi, sequente determinandi facul-  
tatem sibi insitam deprehendit. In se ipsa vero quicquid  
realitatum cognoscit, earum a se nullam vel esse, vel conser-  
vari, aut ullos cogitandi modos per se ipsam produci posse  
percipit *juxta hyp. 1*. Se ipsam adeo, a se ipsa, per se ipsam, ni-  
hil esse intelligit. Tantae imperfectionis suae conscientia sibi  
adhucere, in se ipsa acquiescere nequit quam potest *per ax. 2*.  
Res extra se corporeas, extensionem, extensionisque modos  
invenit se ipsa *per hyp. 3*, multum imperfectiones. E vi *ax. 1*,  
tanto magis negligendas, quando ipsam se cum sui despicien-  
tia

tia praeterire oportuit. Acquiescere pariter non potest in  
mentibus aliis, quas creatas intellexerit, per hyp. i. ab alio,  
quoad naturam suam omnem, dependentes, itidem imper-  
fectas. E. Mens hominis &c. Q. E. D.

## PROPOSITIO I.

DEVM humanae cogitationes  
prae caeteris, & ut possunt, so-  
licite complectantur.

Hominis mens donec est, cogitat. Absque cogitati-  
one vi hyp. 2. numquam persistit. Cogitando constans ideis  
tamen variatur per eand. hyp. Idearum ratio multiplex res di-  
gnitate sui & praestantia adeo usque variantes repraesentan-  
tium juxta hyp. 3. E tanto erit mens perfectior, quo perfe-  
ctorum rerum ideas sibi formabit. In rerum qvarum cun-  
que creatarum nulla menti reliktam esse acquiescentiam,  
Lemma collegit. Superest per hyp. 3. idearum genus quod-  
dam, qibus mens repraesentatur absolute perfectissima,  
SVMMVM BONVM. Has igitur ideas, quando forma-  
bit sibi humana mens, quam potest, cogitabit perfectissime,  
suaeque perfectioni, ad quam per ax. 3. tenetur, ut maxime  
accedet. Cupit DEVS, qvis sui ideas menti impressit, hanc  
possidere, & ab ipsa, ut fieri potest, possideri. Evergetam  
hunc optimum per hyp. 1. sic complecti, omnem dulcedinem  
superat. Non velle complecti, omnem amentiam vi ax. 1.  
Harum ergo cognitionum formationem cura intendat o-  
mnium maxima per ax. 3. Idearum de DEO formatio mentis  
de DEO sermo est vi hyp. 1. & ax. 8. solicite formandus. E. DE-  
VM humanae cogitationes &c. Q. E. D.

### Scholion.

Atqui haec est mentis creatae dōs, qua quid ei vel intimum ma-

gis

end

gū vel convenientius? ita ut in culpa sint & contra naturam agant,  
qui alienis formis cogitationem implendo hanc separant. Verba  
sunt Poir. L. II. de DEO An. & Mal. c. 6. §. 3. Qvam egre-  
gie laboraret humana mens, si huic doti suae tam eximiae  
perpetuo intenta foret! Sed enim limites ejus habet natura,  
patiturque idearum variationes. Non patitur, ut ad unam  
carum, rei qvamvis perfectissimae, direcione semper reflecta-  
tur. Mentis imbecillitati satis erit, dum variatur, per qvae va-  
riari oportet, omnia ad primam illam dirigere ideam, aut  
qvod rectius multo, ad Mensem, qvam haec repreäsentat,  
perfectissimam.

## PROPOSITIO II.

Cognitionibus suis mens huma-  
na rerum veritates probe sibi  
cognitas reddat.

Vnice posset in suo perfectissimo persistere humana  
mens DЕVM semel cognitionibus complexa, si sola esset DЕI  
opus. Hujus vero placitum est, ut per hyp. 4. juncta cum  
pulveris certa mole, in amplissima rerum creatarum serie  
contineretur. Contineret ipsa per hyp. 3. facultatem cognos-  
cendi praeter DЕVM, ac se ipsam, DЕI opera alia. Quem  
affectione summo prosequitur, ejus qvoqve opus sese ipsam per  
hyp. 1. propter DЕVM affectu decenti prosequetur vi ax. 1.  
Perficiet hoc vi ax. 4. cum assvererit ita cogitare semet ipsam,  
DЕIqve opera alia, ut DЕO placeat. Placet DЕO opus suum,  
& qvod huic semel congruum esse voluit, juxta hyp. 1.  
Placebit ergo, ut humana mens circa se atqve res creatas ali-  
as ea intelligat, se seqve ad veritates eas determinet, qvae idea-  
rum juxta hyp. 3. ipsi Divinitus concessarum apta compositi-  
one percipere potest. Atqvi deceptionis, errorisqve pericu-  
lo per hyp. 6. est obnoxia, sociiqve corporis motibus succum-  
bere

bere potest. Via prona ad devia, ad errores facilis lapsus.  
E. tanto provide magis versabitur, ut cogitationibus suis re-  
rum veritates proba reddat cognitas. Q. E. D.

## Corollarium.

Non ergo sufficiet, leviter saltem inspexisse rerum  
momenta, & fugitivo quasi oculo veritates percurrisse. In-  
tendenda cogitationum vis ac insistendum, donec ad inti-  
miores veritatis recessus penetraverint. Qvo mentis vires  
permittunt, ac media suppetunt; eousque in veritates suae  
cuivis scientiae penetrandum. Hos enim, non alios voluit  
esse limites, qui mentem ipsam dedit. Perfida mens ea est,  
quae semetipsam DEI opus tantum non excusat, quantum  
DEUS vult, ac ipsi licet.

## PROPOSITIO III.

Cogitationes rebus non necessari-  
is ac inutilibus numquam im-  
pendenda.

Cogitationibus suis a Creatore mens non accepit,  
qvod in se sit pretiosius, per hyp. 3. &, qvo sui perfectio, ad  
qvam promoveundam per ax. 3. tenetur, majora possit aug-  
menta acquirere. Ad stationem qvisque suam educandus  
atque edocendus, aut educatus atque edoctus per hyp. 5. Ex-  
perientia, scientia, studio multo opus est per eand. hyp. ut rite  
DEI gloriae litare, Divinorumqve operum saluti prodesse  
possit, negotio naturae suae necessario ac utili *juxta def. 3.*  
Scientiae ac artes ita perdiscuntur, ut cum edoctae jam fue-  
rint, liceat plus ultra, utiliora aliquando, faciliora, melio-  
ra invenire. Rebus omnibus pretium, qvod debetur, po-

B

ncs

nere, evellere, qvae animo haerent qyocunqve, erroris casu  
eo praecepitata, magnae artis est, multae scientiac per all hyp.  
Hu usqve rei omnis cura homini iacumbit, dum in ea vita  
est, qvae juxta hyp. 6. ut inter res alias atqve hanc curam no-  
biliorem, valde necessariam inaequaliter dividatur, necessi-  
tas imponit. E. qvicioqvid vacat cogitationibus, rebus im-  
pendendum necessariis, qvia exiguum est, & incertum, qvod  
impendi potest, atqve tantisper inter terrena degit mens ho-  
minis, rebus his corporeis mox iterū valedictura per hyp. 4. Et  
vero in tanta rerum necessiarum copia vel inventa, vel in-  
venienda, per def. 4. numquam fiet, ut, in hoc incertae mo-  
rae punctulo cogitationes rebus non necessariis &c. Q. E. D.

## Corollaria.

1. Homine ergo ( tanto magis eo, qvi Philosophus di-  
ci velit ) indignae prorsus sint cogitationes, qvae rebus lu-  
dicros ac fabulis nihil utilibus inhaerent. Scriptorum ejus  
genteris lectione, qvi tempus fallere studet, se ipsum fallit  
tutissime. Mente sua abutitur DEI dono, cuius cogitati-  
ones occupantur in rebus, qvas & sapientia ignorare potest,  
& pietas. Arcetur Philosophiae sacrario *Φιλοσόφημα*,  
qvo, vel DEI gloria non promoveri, vel Sapientiae veritas  
non obtineri, vel mentis pietas excitari non potest.

2. Verae contra Philosophiae genuina soboles sunt  
cogitationes, qvae scientiam conferunt, cum qva pietas  
concreta. Philosophiae nomen suum non mentientis, pos-  
sunt effata aliquando in sacro qyoqveloco cum fructu audi-  
ti. Atqve iis ipsum hoc non culpam afferet, sed testimoni-  
um, *Φιλοσόφημα* ea esse genuina, non hypobolimaea.  
Poir, in Mon. ad Lect. eos qui putant non esse genuinæ Philoso-  
phiae ex notionibus rebusque narratib; alibus ad DEVm noscendum eri-  
gi nimoror. Diabolicum strategem, ut omnis ad scientium adspic-  
trans longe a DEO evanescat.

Propo-

## Propositio IV.

### Cogitationes hominis numquam, qvod turpe fit, complectantur.

Quicquid in hominis mente vel est realitatis, vel esse potest, per hyp. i. a DEO est, per ax. i. & 2. ad DEVVM, propter DEVVM omne referendum. A se cum nihil sit per hyp. I. vi: ax. 3. congruum est, ut tamquam a se & propter se nihil determinet. DEI constans placitum per hyp. 4. cogitationes hominis, quam his dedit naturae, semper esse congruas vult. Congruae non sunt, quoties tamquam a se aut propter se aliquid determinant. Ejusmodi determinatione humana mens maiorem sibi arrogat potentiam, atque in se cognoscere potest, per d. hyp. Mayult sui opus esse, quam DEI. Nihilum studet DEO anteferre. Comparet absurditas haec in quavis mali specie per hyp. 7. ipsum malum per def. 5. E. si hominis mens, qvod tenetur, suae naturae congrua esse velit, nec adversari DEI placito, cogitationes ejus numquam, qvod turpe &c. Q. E. D.

## Demonstratio II.

Cogitationes DEI opus, vi hyp. 1. Ita cum his versandum, ut DEO placere possit per ax. 4. Numquam placebit summae Sanctitati opus suum, in quo suae Benignitatis munera posuit, detrudi in statum ipso nihilo deteriorem. Conjicit cogitationes eo suas, quae mens ad malum, qvod percipit, le quoque determinat per hyp. 7. Prave ac turpiter esse determinans determinationi bonae locum intercipit, DEI opus impedit. Ut minus in ipsa DEVVS operetur, causa est Displacet Creatori tanta absurditas per hyp. 1. Aliquando cogitationes juxta hyp. 7. sociae molis brutae motibus plus indulgent, quam DEO suo. Ut illi belle sit, terreno pulvere

B 2

plus

plus, quam mente gaudent perfectissima. Ut per hyp. 4 & 7. bre-  
vissimae levissimaeque voluptatis fallaci ludantur larva, De-  
um laedunt. Absurdo omnia ac perverso affectu juxta 1. ax.  
Ita cogitando se sibi homo scopum sicut, cum DEVUM habe-  
re oporteret unicum, abominanda apotheosi. Consilio per  
ax. 4. detestabili se ipsam mens, mentis sanctissimae quae de-  
bebat esse sedes, turpia cogitando, foede conspurcat. DEO  
cogitationes mentis intime pernoscenti ex hyp. 1. opus hoc  
suum turpiter adeo depravatum non displicere nequitquam  
potest. DEO displicere summa infelicitas. per ax. 6. Ne  
in hanc umquam infelicitatem mens humana incurat, ne-  
cessit est, cogitationes ejus numquam, quod turpe sit, com-  
pletantur. Q. E. D.

## PROPOSITIO V. Cogitationes cum aliis commu- nicandae.

Quod ex sui potest idea mens conjicere, deprehendit  
extra se mentes alias suis unitas corporibus, socios, inter  
quos versetur, sibi similes per hyp. 4. Omnes DEI opera jux-  
ta hyp. 1. propter DEVUM affectu, quo par est, prosequendi per  
ax. 1. Non minori quidem, atque se ipsam mens amare pos-  
sit, non magis ipsa, quam caeteri, DEI opus. Vi ax. 3. & 4.  
perfectiones illis debitae oportet asserantur. E. per hyp. 5.  
sociorum mentes DEI gloriae, ipsarumve saluti propriae ei-  
ducandae erunt, atque edocendae. Ut scientiarum verita-  
te & bonitatis regulas sibi necessarias pernoscerem possint,  
ab erroribus liberandae & praejudiciis. Illas ergo ad  
claram veritatis perceptionem, spontaneam promitam-  
que bonitatis determinationem, quantum licet, disponet  
mens suarum perfectionum magis conscientia & particeps.  
Atque cum per ax. 7. eo majus obtineri possit bonum,  
quo pluribus accedit mentibus sua perfectio, quotquot fe-

8

ri potest, necesse est, veritatis bonitatisque communicet thesauros. Aliter hoc numquam praestabit, nisi communicando cogitationes suas, iis quidem signis, quibus alligare has inter homines conventum est. E. cum ad illud obstrictam fere cognoscat hominis mens, tenebitur ad hoc quoque. Q. E. D.

## PROPOSITIO VI.

Cogitationum communicatio circumspecta semper esse, aliquando intermitti debet.

DEVS summum Bonum vi def. 1. Hujus summo affectu prosequendi per ax. 1. operibus aliis, hominibus praesertim, suus debetur amor & amoris decens declaratio. Juxta istud, quod Propositio praeceps V. collegit, numquam erit haec rectior, ac si cogitationum communicatione alia-ruim mentium perfectio promoveatur. Ut possit promoveri mēs ejus rei studiose studiose provideat necesse est, per ea, quæ hyp. 5. & 6. continentur. Mens menti medicinam allatura medicamentabitur prudentiam, non quodvis medicamen cuivis aegro quovis tempore propinantis. Debiliori mentis indoli obest confessim oblata rei abstrusae, utilissima et licet, subtilitas. Menti graviori quodam affectuum symptomate correptae, quod recta porrigitur, durante paroxysmo, pharmacum, sinistra corripiat venenum. DEI honor, hominis salus, suprema lex vi hyp. 5. scripta cogitationum quoque communicationi. Sceleratissimorum hominum nefanda facinora atque technas, turpitudinis cuiusdā rarioris, ignotaevulgo scelus cum abominatione aliquando percipit mens bona. Si communicarit promiscue cogitationes, possit oratio illabi in animum ejus, qui, sceleris neglecta reprehensione, scelus imitando sibi ipse noceat. Medicum cogitationes suas cum

B 3

aegr o

aegro non fecisse communes, hujus saepe sanitati profuit.  
Vtile fuit innumeris vicibus, ignorasse alterum, qvae alter  
noverat. E. Cogitationes aliquando alteri celanda. Et,  
cum cogitationum communicatio circumspecta semper esse  
debeat, aliquando intermittenda tamen est. Q. E. D.

## PROPOSITIO VII.

Cogitationibus qvibusdam piae  
reliqvis facilius & promptius  
formandis assuetam esse men-  
tem oportet.

Mentem humanam opus suum, qvibus constituit, con-  
stanter vult exornari perfectionibus. Mens perfectissima  
*per hyp. 1.* Acquirit hasce decenti ad verum bonumque de-  
terminatione *per hyp. 3.* Ita sese determinat, qvando a se &  
propter se nihil, propter DEVUM omnia expetit. Expedit  
hoc modo, dum rite cogitat esse se a se ac per se nihil, a DEO  
suam realitatem habere omnem *vi hyp. 1.* DEO se totam de-  
beri, DEI opus benignissimi, justissimi, potentissimi: in cu-  
jus semper conspectu, ut placere possit Creatori, verlandum  
sit *per ax. 4.* Terrestria, inter qvae haeret, DEO, DEIque  
amori numquam anteferenda, hoc infinitis modis inferio-  
ra *pi ax. 1.* Non esse haec nisi extensione, extensionisque divisae  
variā dispositionem ac compositionem, cogitationi cuilibet  
creatae, nedū perfectissimae longissime postponenda *per hyp.*  
*3.* Esse ipsa se *per hyp. 4.* cum corpore fragili junctam commor-  
atione ejusmodi, qvae integra ad aeternitatem collata ne mo-  
menti vicem ferat, qvovis tamen instanti forte momento fi-  
nienda. Ejus adeoque amori, ob levem blandae titillationis  
motum, non ultra, quam decet, indulgendum esse *per ax. 1.* E.  
ut decens esse possit mentis determinatio, debitiss mens ex-  
pler

pleri perfectionibus, has oportet cogitationes foveat, liberalitatis Divinae gratiosa dona. Et vero per hyp. 3. non nisi successive suarum cogitationum conscientia redditur. Motibus sui corporis, hujusque occasione *juxta hyp. 6. & 7.* ad malum & imperfectiones suae naturae incongruas prolabi potest. Ut ne delabatur eo, cogitationes illas suaem perfectioni acquirendae utilissimas, quod ipsi licet per hyp. 2. praeceteris sibi familiares reddat. E. ne Creatoris aduersetur placito, cogitationibus quibusdam facilius &c.

## PROPOSITIO VIII.

Cogitationibus mens hominis peccare, & poenam mereri potest.

Mentis quae composita rite judicia colligunt sibi observanda esse, DEI leges sunt. vi hyp. 3. Quod aliter lese habet, atque is voluit, ipse placitis suis constantissimus per hyp. 1. improbat, quodque improbet signis severioribus monstrat. Cogitationibus, quod turpe sit, numquam esse compleendum colligit Prop. IV. rationis rectae innitendo principiis. Et vero cuius v. c. mens propter res a se feliciter gestas ambitione cogitando sibi ab blanditur, delabitur ad inane absurditatis magnae figmentum, esse se aliquid a se atque posse suis quiddam viribus. Contra, quam debebat per hyp. 1. quae nihil a se sit, nihil possit. Dum aliter de se cogitat, quam DEVS voluit, sibi quoddam vendicando regimen, aliquid tribuendo virium, DEVUM rectorem negat ac in se principium esse. Quaeque mens explendae libidinis suae, alienis bonis insidias, evitandae tantum poenae aut commodi ac quirendi causa, probitatem meditatur, cum DEVUM habere debuissest unicum, DEI loco semper scelerate scopum faciendo negat DEVUM. Cogitat vero adhuc dum, & cogitationibus sic turpissima compraehendit. A DEI Sanctitate omnis haec impuritas per hyp. 1. & 7. alienissima, eiisque invisa quam maxime.

xime . At, qvod DEI placito adversatur, DEI iram mereri ac poenam potest vi hyp. i. E. Cogitationes &c. Q.E.D.

### COROLLARIVM.

Saepius mens humana determinatur ad cogitandum turpia, quamvis mox aliter ipsa malit. Succumbit toties corporis sui motibus. Qvod DEI, malum omne aversantis, sanctitas ac justitia offendatur eo modo, clare perspicit Philosophia. Undenam vero illa monstrositas, ut invitam quoque mentem turpitudo ac malum drepente occupet, ut mentem nobilissimae naturae ignobiliores corporis motus vincere aliquando possint, nondum perspicit. Neque media invenit certa laesam DEI Majestatem rite placandi. Deficit heic Philosophia. Defectus cognitione summa ejus perfectio, praecipuis Philosophiae fructus. Judice pariter acutissimo VERO, DN. PLACCIO in Tr. pecul. d Fructu Praecip. Phil. Moral.

### COROLLARIA.

1. A Cognitione mundus pendet, &c, quae in mundo est felicitas ac infelicitas omnis, a cognitionibus.
2. Faciunt cognitiones, ut hominis mens ipsa sibi sit incomprehensibilis.
3. Cognitionibus quando nihil clausum esse possit, humana mens, angustum habitans corpusculum, in angusto non habitat.
4. Cognitionibus velle lucra facere, vulgi ore ridetur; Maximum tamen, qvod homini obtingere potest, lucrum, non nisi cognitionibus acqviritur.
5. Cognitionibus, non arca teneri possunt, quae verae sunt a clausae divitiae.
6. Cognitionibus rite habentibus scilicet nihil magnum est, praeter unam Cognitionem.
7. Cognitioni, quae perfectissima esse debeat, rerum futurarum praelscientia tribui nequit, absque imperfectionis nota.
8. Nec ergo DEO perfectissime cognoscenti omnia affingetur praelscientia, quae proprias sic dicatur.
9. Vni tantum Cognitioni qvod bonum esse videtur, vere bonum est.

*Aeterno Cognitionum Autori Aeterna Gloria!*



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730609839/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730609839/phys_0019)






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730609839/phys\\_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730609839/phys_0020)





Propo  
Cogitationesh  
qvod turpe

Qvicquid in hominis m  
test, per hyp. 1. a DEO est, per  
DEVm omne referendum.  
3. congruum est, ut tamquam  
net. DEI constans placitur  
nis, quam his dedit natura  
Congruae non sunt, quoties  
qvid determinant. Eiusm  
mens majorem sibi arrogat p  
potest, per d. hyp. Mayult sui  
studet DEO anteferre. Co  
mali specie per hyp. 7. ipsum i  
mens, qvod tenetur, suae na  
versari DEI placito, cogitati  
&c. Q. E. D.

# Demon

Cogitationes DEI opudum, ut DEO placere possit summae Sanctitati opus suum nera posuit, detruidi in statu jicit cogitationes eo suas, quod pit, le quoque determinat per se determinans determinatio opus impedit. Ut minus in Displacet Creatori tanta ab cogitationes juxta hyp. 7. soci indulgent, quam DEO suo.

lumquam,  
lectantur.

litatis, vel esse pe-  
DEVM, propter  
I sit per hyp. I. vi. ax.  
r se nihil determi-  
gitationes homi-  
se congruas vult.  
aut propter se ali-  
atione humana-  
e in se cognoscere  
a DEI. Nihilum  
itashaec in qvavis  
5. E. si hominis  
esse velit, nec ad-  
qvam, qvod turpe

ta cum his versati-  
umquam placebit  
Benignitatis mu-  
lteriorum. Con-  
sum, quod percis-  
ave ac turpiter se-  
um intercipit. DEI  
peretur, causa est.  
p. i. Aliquando  
e motibus plus in-  
t, terreno pulvere  
plus